



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 56. Juramentum a Gubernatrice Proceribus, & Magistratibus impositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Juramentum a Gubernatrice Proceribus, & Magistratibus impositum.

Interea Gubernatrix Regem brevi in *Stradal. 6.*
 Belgium profecturum edocta, id urgendum putabat, quod jam pridem moliebatur de Proceribus, & Magistratibus, ut jurati sponderent, se adversus illos, qui læsæ Majestatis rei declararentur, nullo excepto fidelem operam Regi navaturos. Hoc juramentum Gubernatrix non ex eo, ut aliquorum animos satis sibi aliunde perspectos exploraret, exigebat, sed id faciebat, ut eos minore invidia aut exauthoraret, si sacramentum abnuerent, aut plecterent, si fallerent fidem, eoque Belgium nulla ex parte impacatum Regem acciperet. Cœperat id consilii Gubernatrix ab anni hujus initio, reque ad Senatum relata addidit, gratissimum sibi fore, si Proceres ipsi exemplo præirent, ceteris pluribus dein facilius secuturis. Primus rem probavit, promisitque Sacramentum Comes Petrus Ernestus Mansfeldius, secutique sunt ejus exemplum Areschoti Dux, & Comites Egmontius, Meganus, ac Barlamentius, atque uti tunc sponderant, ita postea jurejurando firmarunt. Ast Henricus Brederodius, a quo tanquam

Sæcul. XVI.
A. C. 1567. in Regis ditionibus constituto, ac unius ex quatuordecim Belgicorum equitum centuriæ Ductore Gubernatrix per certos nuntios, & compositis deinde literis exegerat Sacramentum fidelitatis, diu tergiversabatur, & postremo cum iuberetur regimen equitum deponere, centuriam recusato jurejurando remisit. Abnuerunt quoque Sacramentum, quamquam paulo civilius, Comites Hochstratanus, Hornanusque, qui dicebant, Sacramentum, quo se superioribus annis obstrinxerant, satis esse. Accepta hac repulsa Gubernatrix Hochstratum Comitem Mechliniæ Præfectura semovit, eamque Baroni Semerio integræ Religionis, ac fidei viro demandavit.

§. LVII.

Orangius Princeps recusato Sacramento suis dignitatibus cedens.

Strad. l. c. Postea Orangius Princeps recusato etiam Sacramento Gubernatrici scribens inter alia monuerat, ut Hollandis, Zeelandisque, atque Burgundis quemdam Præfectum designaret, eo quod ex Regis sententia intelligeret, quod ipse harum Provinciarum regimini cedere deberet. Hæc propositio Gubernatricem suspensam tenebat, cum hunc Principem aperte inimicum sibi nollet, cui
subi-